

fit, vel fuerit. Mascard. *Vol. 3. Concl. 1215. n. 10. p. 568. de Probat. 2.* dicitur *Lac perfectum* ad discrimen humoris similitudinem cum lacte habentis, qui interdum etiam in virginibus sese exserere solet. Talem namque humorem in virginibus adhuc puris & incorruptis interdum reperiri, testantur Medici, & ex causis naturalibus provenire posse docent 3. *Lactis apparentia in mammis non est infallibile signum factæ impregnationis, aut editi partus; Quod etiam concedit Parisiensis lib. 2. Cons. 29. n. 48.. Lac in mammis habere non est certum & indubitatum signum corruptæ virginitatis vel etiam impregnationis, vel etiam, quod femina pepererit. Imperator provocat ad Judicium Medicorum, quod nimirum nonnulli Medici doceant, posse mulierem lac in mammis habere, quæ tamen non sit gravida, neque etiam pepererit. Hippocrat. Sect. 5. Aphor. 39. Idem & Calenus testatur. Imò tradunt nonnulli, non tantum in mulieribus, quæ nec impregnatæ sunt, nec pepererunt, sed etiam in quorundam virorum mammis lac reperiri. Arist. l. 1. c. 12. Et lib. 3. c. 20. de Histor. Animal. Hieronym. Mercurial. lib. 3. c. 1. de morb. mulier. Baricellus c. 25. de Lacte refert, testimoniis illorum, qui novum orbem lustrarunt, viros penè omnes certis quibusdam in locis maximam lactis copiam generare, Sed ad rem: Quoniam verò nonnulli Medici constanter affirmant, naturaliter quandoque accidere posse, ut puella vel femina nec gravida facta, nec partum enixa, lac in mammillis suis habeat, ideo signum istud infallibile, & omni ex parte certum non est commissi Infanticidii, Quapropter 4. *In casu excusationis à suspecta puella factæ, obstetrices illam inspicere debent.* Id est, quando puella istæ suspecta suam virginitatem defendere, & istud indicium lactis, quod in mammis habet, aliis contrariis indiciis & argumentis refutare, & ita suam innocentiam defendere vult; tum non oportet ad torturam festinare, sed talem feminam obstetricum inspectioni committere, quæ juratò testentur, nunquid illa pepererit, vel non. Tum enim si ad spectus est in contrarium, omnis probatio vincitur. Gail. l. 1. Obs. 26.*

Tria autem concurrere oportet, ut in præsentis casu tortura inveniat locum (1.) *Veritas infanticidii*, scilicet, infantem vere esse occisum: si enim de corpore delicti non constat, ad torturam non licet pervenire. (2) *Apparentia copiosi & perfecti lactis in mammis puellæ suspectæ*; Etiam si hoc non sit certissimum & infallibile indicium, utpote quod interdum fallere queat; attamen interdum etiam non fallit, præcipuè si lac ad fuerit in tanta copia, ut femina possit mulgeri: deinde si lac fuerit perfectum, non

non